

fieri delatio. Idem die de aliquo alio viro pio et prudenti. Neque hoc est dicere Ecclesiae; quia non dicitur praelato ut iudici et superiori, sed ut personae proficienti ad correctionem et emendationem proximi, et quasi fratri.

Neque etiam in hoc violatur praecipuum Domini de monitione secreta praemittenda denuntiationi; quia, cum sit affirmativum et in bonum corripiendi, debet observari in quantum circumstantiae locorum, temporum et personarum indicant observandum. Neque conqueri potest corripiendus de sui diffamatione apud superiorem; levis enim est haec diffamatio, attentis prudentia, probitate et benevolentia quae supponuntur in praelato, debetque illum sufferre pro consequenda meliori modo sua salute.

Dico 4<sup>o</sup>: Si post pluries adhibitam infructuose admonitionem secretam, sit spes quod ulterius procedendo frater emendabitur, debemus ulterius procedere, adhibendo testes, deinde denuntiando praelato, ut patri, quantumvis peccatum sit occultum. Si vero non sit spes quod ulterius procedendo frater emendabitur, non est ultra privatam monitionem procedendum<sup>1</sup>.

*Prob. prima pars*: 1<sup>o</sup> ex lege statuta a Christo. 2<sup>o</sup> Ex charitate tenemur consulere famae et saluti proximi, magis tamen saluti quam famae, si utraque haberi non possit. Si ergo inductio testium aut denuntiatio sit necessaria saluti proximi, negligi debet leve famae detrimentum ex adhibitione testium aut ex denuntiatione facta praelato tamquam patri, ut salus obtineatur; sicut prudens medicus pro conservatione vitae totius abscindit membrum necessarium, ut jam diximus ex Authore.

*Prob. secunda pars*. Correptio fraterna et totus ejus processus ordinantur ab bonum et emendationem fratris delinquentis, tamquam ad finem. Cessante autem fine, cessant media ad illum. Ergo, si non sit spes emendationis fratris procedendo ad inductionem testium et ad denuntiationem, abstinendum est ab illis.

Dixi, « denuntiando praelato, ut patri; » quia, si pecca-

1. Ibid., o et ad 1.

tum occultum fratris non sit nisi ipsi noxium, nec tale quod bonum commune exigit deferri ad iudicium, non licet denuntiare denuntiatione juridica praelato ut iudici, sed tantum ut patri; nec potest praelatus cui istud peccatum per viam correptionis fraternae innotescit, contra illum fratrem judicialiter procedere, neque excommunicatione publica aut alia poena diffamante punire: quia et ipsa correptio fraterna et totus ejus ordo atque processus ad solum bonum et emendationem fratris ordinantur, processus autem judicialis ad bonum dumtaxat commune et publicum. Adde quod frater per suum peccatum occultum non amisit jus ad famam, neque reipublicae bonum exigit ut diffametur. Ergo praelato ut patri subditus delinquens fraterne est denuntiandus, sic ut praelatus non possit ipsum excommunicatione publica, aut aliis poenis juris infamantibus plectere, sed coram denuntiatore et testibus, seu paucis viris gravibus, ipsum corripere et moderatis poenis privatis, ut flagellatione, jejunio et similibus castigare, ipsique prohibere sub poena excommunicationis ne in tale peccatum relabatur. Quod si non obtemperet, erit excommunicatus, atque ita sicut ethnicus et publicanus, ut fert sententia Christi, non tamen publice, sed privatim; neque poterit denuntiari ut talis, quamdiu peccatum manebit occultum.

## DISSERTATIO VII

## DE VITIIS CHARITATI OPPOSITIS

D. Thomas, a q. 34 ad q. 43.

Vitia charitati opposita sunt, juxta Authorem, quaestionibus citatis, odium Dei et proximi, quod opponitur ipsi dilectioni; aecidia, quae opponitur gaudio de bono divino; invidia, quae opponitur gaudio de bono proximi; discordia, quae opponitur effectui charitatis, qui est pax; contentio, quae opponitur paci quantum ad locutionem;

schisma, bellum, rixa et seditio, quæ opponuntur paci quantum ad opus; scandalum, quod opponitur charitati quantum ad beneficentiam. De his omnibus plus aut minus, secundum majorem vel minorem materiæ necessitatem, dicemus in hac dissertatione.

## ARTICULUS I

*De odio Dei et proximi, de acedia, invidia, discordia, contentione et schismate.*

I. *Odium Dei.* — Odium in communi est actus seu motus voluntatis quo quis malevole fertur in aliquid. Est duplex, odium abominationis et odium inimicitiae. Odium abominationis est quo aversamur aliquid ut nobis malum et disconveniens. Odium inimicitiae est quo volumus alicui malum ut illi male sit; unde istud odium non tam est aversio quam prosecutio alicujus quod apprehendimus ut nobis bonum et alteri malum.

Odium Dei est omnium peccatorum gravissimum<sup>1</sup>; quia ratio culpæ consistit in voluntaria aversione a Deo. Hæc autem aversio est potior et major in odio Dei quam in aliis peccatis; quia in odio Dei directe et per se intenditur, in aliis autem peccatis indirecte tantum et per aliud: sic, v. g., qui fornicatur, non intendit directe et per se averfi a Deo, sed intendit inordinatam delectationem, cui est annexa aversio a Deo.

II. *Odium proximi.* — Odium proximi sive abominationis, sive inimicitiae, est ex genere suo peccatum mortale<sup>2</sup>; quia directe contrariatur charitati, quæ est vita animæ. Charitate autem tenemur diligere proximum secundum id quod habet a Deo, id est secundum naturam et gratiam. Ergo aversari proximum secundum naturam et gratiam, et ipsi malum velle, est ex genere suo

1. Hic q. 34, a. 2, o. — 2. Ibid., a. 3, o.

peccatum mortale. Plura vide in dictis de dilectione inimicorum.

Potest tamen utrumque fieri veniale, non solum ex indeliberatione actus, sed etiam ex levitate materiæ: odium inimicitiae, si leve malum optetur proximo. Odium abominationis raro est mortale; quia simplex displicentia personæ creatæ multis defectibus subjectæ et propter illos sine mali imprecatione, non videtur tanta inordinatio: nisi talis sit ut quis recuset veniam petenti, vel communia charitatis officia, aut nisi sit causa gravis scandalii, vel duret, dum urget præceptum diligendi proximum.

[Ex his colliges 1<sup>o</sup> nunquam esse licitum optare proximo malum sub ratione mali, secus vero sub ratione boni, id est ut ex malo optato obveniat ei bonum malo præponderans. Cavendum tamen ne sub pallio melioris boni virus odii aut vindictæ lateat. Et quia vita hominis innocentis præponderat bonis fortunæ alicujus privati, jure damnatæ sunt ab Innocentio XI sequentes propositiones, sub num. 13, 14 et 15: « Si cum debita moderatione facias, potes absque peccato mortali de vita alicujus tritari et de illius morte naturali gaudere, illam inefficaci affectu petere et desiderare, non quidem ex displicentia personæ, sed ob aliquod temporale emolumentum. » — « Licitum est absoluto desiderio cupere mortem patris, non quidem ut malum patris, sed ut bonum cupientis, quia nimirum ei obventura est ei pinguis hæreditas. » — Licitum est filio gaudere de parricidio parentis a se in ebrietate perpetrato, propter ingentes divitias inde ex hæreditate consecutas. »

Colliges 2<sup>o</sup> aliquem posse sibi optare mortem ut fruatur Deo, et eum non amplius offendat, ut fecit Apostolus, dicens, *Rom.*, vii, 24: *Infelix ego! quis me liberabit de corpore mortis hujus?* Sed quid de illo qui sibi optaret mortem ut liberaretur a miseriis hujus vitæ? Respondeo id esse per se illicitum, quia mors est omnium malorum hujus vitæ terribilior: nisi hoc optetur sub conditione quod ita placeat Deo, et cum desiderio saltem implicito melioris vitæ, scilicet æternæ.]

III. *Acedia*. — *Acedia* theologice sumpta est tedium seu tristitia de bono spirituali<sup>1</sup>. Si sit de bono spirituali in communi, non est speciale vitium, sed circumstantia omnis vitii; omne enim vitium refugit bonum spirituale virtutis oppositæ. Sed est speciale peccatum, quatenus est tedium de bono divino ad nos pertinente, apprehenso ut malo proprio; ut si quis tristetur de amicitia Dei, de beatitudine sibi proposita, aut de mediis ad Dei amicitiam et beatitudinem necessariis, ut de sacramentis, de divinis præceptis, de bonis operibus, quatenus sunt ad Dei amicitiam et beatitudinem necessaria.

Hac ratione *acedia* est peccatum mortale ex suo genere<sup>2</sup>, quia contrariatur charitati, per quam habetur vita spiritualis; proprius enim effectus charitatis est gaudium de Deo, *acedia* autem est tristitia de bono divino ad nos pertinente, ut dictum est.

IV. *Invidia*. — Est tristitia de bono alieno æstimato ut malo proprio, quatenus est diminutivum propriæ gloriæ et excellentiæ<sup>3</sup>.

Est peccatum, quia dolet de eo de quo est gaudendum, scilicet de bono proximi. Est peccatum ex genere suo mortale, quia contrariatur charitati. Potest tamen esse veniale, tum ex indeliberatione actus, tum ex levitate materiæ, ut si sit de exiguo bono proximi.

V. *Discordia*. — *Discordia* de qua hic agimus et prout opponitur charitati, est dissensio voluntatum circa bonum divinum vel proximi, in quod tenemur ex charitate consentire<sup>4</sup>; quia, si non teneamur consentire ex charitate, sed ex alia virtute, non erit contra charitatem, sed contra illam aliam virtutem. Est ex genere peccatum mortale, propter contrarietatem ad charitatem.

VI. *Contentio*. — *Contentio* generaliter sumpta est pugna verborum; specialiter autem, prout hic sumitur, definitur ab Ambrosio: « Impugnatio veritatis cum con-

1. Hic q. 35, a. 1 et 2, o. — 2. Ibid., a. 3, o. — 3. Hic q. 36, a. 1, 2, 3 et 4, o. — 4. Hic q. 37, a. 1, o.

fidentia clamoris<sup>1</sup>. » Intellige veritatem quam quis novit, aut potest ac debet noscere, ut in hæreticis. Intellige etiam impugnationem veritatis ex animo, non exercitii aut examinis causa.

Est ex genere suo peccatum mortale, quia contrariatur charitati, quatenus contrariatur paci, quæ est effectus charitatis.

VII. *Schisma*. — *Schisma* græce, latine scissio, ex usu recepto apud scriptores ecclesiasticos, sumitur pro speciali peccato, quod definitur: « Voluntaria separatio sui ipsius ab unitate Ecclesiæ<sup>2</sup>. » Unitas autem Ecclesiæ in duobus potissimum attenditur, scilicet in connexionione seu communicatione membrorum Ecclesiæ ad invicem, et in ordine omnium membrorum ad unum caput, quod est ipse Christus, cujus vicem gerit in Ecclesia summus Pontifex.

Unde triplici modo potest quis fieri schismaticus: 1º se separando a capite; 2º a membris; 3º a capite et membris simul.

[*Schisma* aliud est purum, quod charitati solum et paci opponitur, ut in iis qui credunt unam sanctam Ecclesiam, sub visibili capite Romano Pontifice, et quidquid Ecclesiæ Romana docet, ex superbia autem nolunt Papæ subesse et obedire, vel reliquis Ecclesiæ membris uniti esse. Aliud hæresi conjungitur, in iis qui se separant ab obedientia Papæ, quia ejus potestatem non agnoscunt. Hinc, quamvis omnes hæretici sint schismatici, non vero e contra, et schisma absolute ab hæresi sejungi possit, attamen vix aut ne vix quidem verum schisma sine aliqua hæresi reipsa reperitur, vel quod saltem in hæresim non erumpat.]

Schismatici, sive qui ab unitate Ecclesiæ discedunt, sive qui obedientiæ Papæ debitæ se subtrahunt, excommunicatione latæ sententiæ speciali modo Romano Pontifici reservatæ plectuntur in constitut. *Apostolicæ Sedis*,

1. Hic q. 38, a. 1, o. — 2. Hic q. 39, a. 1, o.

his verbis : « Schismaticos et eos qui a Romani Pontificis pro tempore existentis obedientia pertinaciter se subtrahunt vel recedunt. » Hæc censura fuit renovata a bulla *Cœnæ*. Ex ea sequitur privatio jurisdictionis, quando schisma est manifestum<sup>1</sup>.]

## ARTICULUS II

## De bello

Bellum definiri potest : « Congressio vi et armis inter duos exercitus contrarios. » Per quod differt a duello, quod est congressio unius contra unum.

Duplex est bellum : offensivum, quod est ad obtinendum satisfactionem pro injuria illata, et defensivum, quod est propulsandam injuriam inferendam.

*Petes* 1<sup>o</sup> utrum bellum sit licitum.

[Bellum esse semper peccatum dogmatizarunt olim Manichæi, ex S. Aug., lib. XXII *contra Faustum*, cap. 74; deinde Wicelista, teste Waldensi. Lutherus autem proclamavit, pugnare contra Turcas, esse contradicere Deo volenti per eos peccata nostra punire. Erasmus contendit omne bellum esse christianis interdictum, contra quos]

*Resp.* Bellare non est per se malum, sed, positis tribus conditionibus, scilicet legitima autoritate indicendi bellum, justa causa et recta intentione, est licitum<sup>2</sup>.

*Prob.* ex Scriptura. In antiqua Lege, Deus sæpe jussit aut probavit bellum : *Exod.*, xxii, 8 seqq. ; *Num.*, xxi, 2 et 3 et xxv, 17 et 18 ; *Deuter.*, vii, 1 seqq. ; *I Reg.*, xv, 2 et 3 ; *II Reg.*, viii, 1 seqq. ; *Josue*, i, 2 seqq., vi, 2 seqq., viii, 1 seqq., x, 8 seqq., et alibi sæpe.

In Lege nova<sup>3</sup>, *Luc.*, iii, 14, militibus quærentibus quid

1. *Ibid.*, a. 3, o. — 2. *Hic* q. 40, a. 1, o. — 3. *Ibid.*, in arg. *Sed contra*.

facerent ut fugerent venturam iram quam Joannes Baptista peccatoribus intentabat, non jussit S. Præcursor militiam deserere, sed ea bene uti : *Neminem*, inquit, *conculcatis, neque calumniam faciatis, et contenti estotestipendiis vestris*. Quibus verbis tacite approbat bellum, ut docet Aug., *Epist.* 138<sup>1</sup>, ad Marcellinum.

*Confirm.* ex usu Ecclesiæ, quæ in pluribus conciliis decrevit bellum pro recuperatione Terræ sanctæ.

*Prob. ratione.* Lege naturæ licet vim vi repellere. Ergo bellum defensivum est licitum. Quantum ad offensivum : Privatus injuriam aut damnum passus, potest petere satisfactionem aut restitutionem. Ergo similiter potest republica. — Subsumo. Atqui aliquando satisfactio seu restitutio haberi aliter non potest quam armis, puta si injuriantes aut damnificantes requisiti nolint satisfacere seu restituere, nec habeant superiorem qui illos velit aut possit compellere ad satisfaciendum seu restituendum. Ergo.

Dixi : « Positis certis conditionibus, scilicet legitima autoritate, justa causa et recta intentione. »

Autoritas requisita ad indicendum bellum offensivum, debet esse suprema<sup>2</sup>, quæ nullam aliam in temporalibus superiorem agnoscat, qualem habent imperatores, reges, quidam duces, respublicæ independentes, ut Veneta, Helvetica, etc. 1<sup>o</sup> Quia quicumque habet superiorem, potest apud ipsum prosequi jus suum. Bellum autem moveri non potest, nisi quando non est alia via jus suum prosequendi. 2<sup>o</sup> Bellum offensivum est actus supremus justitiæ vindicativæ. Ergo ad supremum principem pertinet.

Bellum autem defensivum, instante periculo, principes, duces, magistratus dependentes possunt jure naturæ illud indicere, cum cuique etiam privato liceat vim vi repellere. Intellige, durante periculo et necessitate ; his enim cessantibus, debent vindicandæ injuriæ judicium, potestatem et executionem a supremo principe vel republica independente petere et expectare.

1. Olim 5. — 2. *Hic* q. 40, a. 1, o.

Causa justa indicendi bellum offensivum, generaliter loquendo, est unica, nempe injuria seu damnificatio gravis illata, non reparata, nec alio modo reparanda.

Quantum ad rectam intentionem, non debet geri bellum, nisi ex intentione justitiæ et boni communis, ut docet Aug., Epist. 189<sup>1</sup> et lib. XXII *contra Faustum*, cap. 74.

*Petes* 2º utrum in dubio de justitia belli, sit licitum bellare.

*Resp.* 1º. Si agatur de reparatione injuriæ, princeps dubius de justitia belli, non potest bellum indicere; quia in dubio, præsertim tanti momenti, oportet eligere tutiorem partem. Si agatur de possessione recuperanda, in dubio melior est conditio possidentis, et ideo contra illum non potest moveri bellum. Si neuter possideat, licet bellum inferre contra illum qui non vult rem dividere pro rata dubii.

[Vera ratio cur, in dubio de justitia belli, non licet illud declarare, est quia nemo licite agit, cum actus potest esse bonus vel malus, nisi moraliter certus sit de honestate suæ actionis, ut in tractatu *de Actibus humanis*, dissert. V, *de Conscientia*, fuit expositum et probatum.

Cum neuter possidet, et jus est dubium, non videtur hunc vel illum per vim et arma cogendum esse ad rem pro rata dubii dividendam, quia, ita procedendo, unus vel alter jure suo spoliaretur; sed examinandi sunt et ponderandi tituli ex utraque parte invocati, et si partes inter se litem componere non valeant, decisionem causæ arbitrio alterius committere debent, cujus sententiæ se stare promittant. Quod si contententes ultro conveniant de re litigiosa inter se dividenda, ita ut uterque jus quod forsan sibi competit ex parte derelinquat, probandus est certe hic procedendi modus, quo justitiæ plene satisfit, sed nullatenus imponendus videtur.]

*Resp.* 2º. Qui sunt subditi principi bellum gerenti, jussi possunt et debent inscribi militiæ, et inscripti bellare, etiamsi dubitent de justitia belli, formando tamen sibi

1. Olim 205.

judicium practicum quod sibi liceat obedire et bellare; quia 1º superior habet jus certum præcipiendi, neque ob dubium subditi exuitur suo jure. Ergo subditus tenetur obedire; sunt enim correlativa jus præcipiendi et obligatio obediendi. 2º Ex denegatione obedientiæ, dum ejus causa manifesta assignari non potest, enervatur auctoritas in superioribus, totumque regimen subvertitur. Ex his itaque principiis subditus potest formare judicium practicum, quod jussus possit licite bellare. Confer quæ scripsi dissert. V *de Actibus humanis*, art. 2, *Petes* 3º.

*Resp.* 3º. Qui non sunt subditi principi bellum gerenti, in dubio de justitia belli, non possunt militare; quia non militando nemini faciunt injuriam, cum non habeant necessitatem obediendi sicut subditi de quibus in responsione præcedenti; militando autem exponuntur facere gravem injuriam alteri principi. Eadem omnino videtur ratio de subditis principi belligeranti, si non jussi, sed sua voluntate, militent pro stipendio.

Attamen, quia causæ belli sæpe non sunt manifestæ et justitia belli etiam sæpe est obscura etiam ipsis theologis et jurisperitis, ex hac responsione, aliunde secundum se vera, sequeretur quod omnes ferme milites essent culpandi; quis enim ex illis, sive sint subditi, sive non, inquirat de causis et justitia belli? Ideo plures graves authores existimant quod, si dubium eorum sit tantum negativum, quatenus non habent rationes pro aut contra, et propter principis et ejus consiliorum probitatem et prudentiam possint sibi persuadere quod bellum non moveant, nisi esset justum, licite militent.

Qui vero sunt parati bellare, sive bellum sit justum, sive sit injustum, sunt certo in statu damnationis, propter voluntatem bellandi etiam injuste.

*Petes* 3º utrum possit dari bellum justum ex utraque parte.

*Resp.* Bellum per se ex natura rei non potest esse justum ex utraque parte, potest autem per accidens et ex ignorantia, seu, alii dicunt, non potest esse justum ex utraque

parte materialiter, bene tamen formaliter: quia fieri non potest, secundum rei veritatem, quod in uno sit jus petendi satisfactionem aut restitutionem, quin sit obligatio in alio satisfaciendi vel restituendi; sunt enim correlativa jus et obligatio. Ergo, si resistat, injuste resistit, et e contra si juste resistit, alter injuste petit. At vero, si unus ignoret jus alterius, non peccat resistendo, et sic per accidens, ratione ignorantiae, bellum est justum ex utraque parte.

*Petes* 4<sup>o</sup> utrum in bello justo liceat occidere innocentes.

*Resp.* In bello justo nunquam licet per se et ex intentione occidere innocentes, nisi facta sit a Deo specialis auctoritas. Licet tamen per accidens et præter intentionem.

*Prob.* prima pars. 1<sup>o</sup> Ex illo generali Dei mandato, *Exod.*, xxiii, 7: *Insonem et justum non occides.* 2<sup>o</sup> Innocens non potest occidi in bello justo, nisi propter culpam reipublicae. Atqui id non licet. Ergo. — *Prob. min.* Respublica non potest puniri ab hoste, nisi in bonis quorum habet dominium. Atqui respublica non habet dominium in vitam innocentium, sed solus Deus, qui reipublicae non concessit jus gladii nisi adversus eos qui male agunt. Ergo.

Innocentium autem nomine veniunt infantes, impuberes, bello inepti, feminae, rustici, plebei, mercatores nihil ad bellum conferentes, peregrini, extranei: item expresse, ex jure positivo, clerici et Religiosi, cap. *Innovamus, de treuga et pace*, lib I Decretal., tit. 34, c. 2. Hi omnes, inquam, juris præsumptione censentur innocentes, donec contrarium de illis probetur.

*Prob.* secunda pars: 1<sup>o</sup> Si neque per accidens et præter intentionem liceret in bello justo occidere innocentes, impossibile foret bellum perficere: non posset v. g., expugnari civitas aut turris everti in qua includerentur innocentes; non possent impeti hostes qui innocentes in fronte prælii constituerent, quod nunquam omitterent, sicque justitia bellantium frustraretur. 2<sup>o</sup> Quando unius actus sunt duo effectus æque immediati, unus bonus, alter malus, potest, subsistente justa ratione, intendi bonus

effectus et malus permitti<sup>1</sup>. Atqui eversio turris aut explosio tormentorum bellicorum in hostes, est immediate defensiva patriæ et occisiva innocentium. Ergo primus effectus potest intendi propter bonum commune, et alter permitti. Hoc principium Authoris latius deductum et explicatum habes dissert. VIII, *de Justitia*, art. 2.

*Petes* 5<sup>o</sup> quæ sint obligationes et peccata bellantium.

*Resp.* 1<sup>o</sup>. Principes supremi et duces exercitus 1<sup>o</sup> tenentur ex officio curare, in quantum possunt, disciplinam militarem observari, et coercere milites a rapinis, furtis, incensionibus, stupris, etc.; alioquin peccant mortaliter et tenentur ad restitutionem horum damnorum. 2<sup>o</sup> Peccant mortaliter, si non provideant justa stipendia militibus, et tenentur restituere damna quæ milites defectu stipendii inferunt.

*Resp.* 2<sup>o</sup>. Duces subordinati peccant mortaliter et tenentur ad restitutionem: 1<sup>o</sup> Si, nulla cogente necessitate, milites exponant temere certæ interneconi. 2<sup>o</sup> Si partem stipendii vel pecuniarum pro militibus concessarum retineant. 3<sup>o</sup> Si minorem numerum militum habeant, et pro majori stipendia recipiant, quales sunt qui, dum lustrantur copiae, non milites sub habitu militari præsentant, vulgo *passé-volants*, vel eundem bis aut ter præsentant: quo etiam peccato implicantur ipsi lustratores seu commissarii, qui id scienter admittunt; neque tantum de furto stipendii tenentur, sed de damno quod provenire potest reipublicae ob insufficientem militum numerum. Excipe tamen, nisi id fiat ex consensu expresso vel tacito principis; audio enim id quandoque permitti in sublevamen et indemnitate centurionum. Quod an ita sit, quando et quomodo, ipsi viderint. 4<sup>o</sup> Peccant et tenentur ad restitutionem, qui dum ducunt copias per provinciam, ob accepta munera a certis pagis vel civibus, alios sive pagos, sive cives numero militum aggravant.

*Resp.* 3<sup>o</sup>. Milites gregarii 1<sup>o</sup> debent esse contenti suis sti-

1. Hic q. 64, a, 7, o.

pendiis, juxta præceptum S. Præcursoris, *Luc*, III, 14. Unde peccant mortaliter et tenentur ad restitutionem, si in terris non hostilibus præter tectum, lectum, paleas, etc., ut fert consuetudo, pecunias extorqueant, spolient, rapiant, aliterve damnificent. Neque eos excusat ducum autoritas aut dissimulatio, nisi forte, deficiente aut diminito stipendio, sumerent præcise necessaria urgenti necessitati. 2º Tenentur, etiam cum certo vitæ periculo, non deserere stationem, aut arcem, nisi plane desperata victoria.

[*Resp.* 4º. Durante bello, ea omnia licent quæ jure gentium permittuntur et necessaria sunt ad finem obtinendum. Hinc licet insidias parare, stratagemata adhibere, v. g., fugam simulare, etc. In bello justo licet urbes obsidere et expugnare, aqua eas privare. Item innocentes bonis expoliare, si ipsi sint membra reipublicæ hostilis, nec alio modo victoria haberi possit. Licet etiam ecclesias evertere, si hostes ad defensionem iis utantur. Interdum, at solum ex urgentissima causa, civitates direptioni tradi possunt. Hoc tamen hodiernis moribus adversatur, præter casum quo tributum juste impositum denegatur.

Illicitæ vero sunt fraudes quæ nulla prudentia præcaveri possunt, ut puteos et fontes veneno inficere. Nec licet subornare sicarios qui ducem exercites adversi occulte trucident; nam, ex consensu omnium, perfidia nunquam cohonestari potest.

Similiter non licet captos in bello et omnes qui jam nocere non possunt interficere, nisi in pœnam criminis. Captivi autem fugere possunt, si non obstet promissio ab eis data ¹.

*Petes* 6º an liceat principi catholico hæreticos aut gentiles in auxilium advocare.

*Resp.* affirmative per se, saltem speculative loquendo, modo absit scandalum et fidei periculum. Sed potest esse

1. Cfr. Marc, *Instit. morales Alphonsianæ*, n. 751.

per accidens illicitum, ob damna nempe religioni imminuentia ¹.

*Petes* 7º quandonam præliantes irregulares fiant.

*Resp.* In bello justo defensivo, non fiunt irregulares etiam ii qui occidunt. In bello autem justo offensivo, ii soli qui occidunt irregularitatem incurrunt, non vero alii. In bello vero injusto, etiamsi unus tantum occidatur, omnes aggressores sunt irregulares, quia per modum unius agunt ². Hoc ultimum eruitur ex S. Thoma ³. De his fusius infra, de *Irregularit.*

### ARTICULUS III

#### De duello

*Petes* 1º quid sit duellum.

*Resp.* Duellum, græce monomachia, est pugna unius contra unum, et sic late sumptum est rixa duorum inter se; prout autem accipitur in jure et in ordine ad censuras ecclesiasticas, definitur communiter: « Periculosa duorum pugna ex composito seu condicto inita, cum designatione temporis et loci. » Et quia materia censurarum est odiosa, et ideo restringenda, omnes hujus definitionis partes sunt strictè accipiendæ. Itaque

Dicitur 1º « pugna duorum; » quia, si plures promiscue contra plures pugnent, erit simpliciter rixa, non duellum, nisi singuli determinati contra singulos determinatos pugnent, ut fit in duello solemnè. Duplex namque distinguitur duellum, unum solemnè seu publicum, quando adhibentur quædam cæremoniæ, ut electio patrinorum, seu, ut vocant, secundantium, assumptio testium, litteræ provocatoriæ, seu libelli citatorii vulgo *cartel*, etc.; aliud simplex, quando non adhibentur istæ cæremoniæ.

1. S. Lig., lib. IV, n. 406. — 2. Id., lib. VII, n. 459. — 3. Hic q., 64, a 8, o, et ad 3.

Dicitur 2° « periculosa pugna ; » quia pugnae quae fiunt sine periculo occisionis aut gravis læsionis, ut pugnis, levi baculo, avulsione crinium, etc., quamvis quandoque sint gravia peccata, non tamen sunt proprie duella.

Dicitur 3° « ex composito seu condicto. » Ita exprimitur Gregorius XIII, constit. *Ad tollendam*, data anno 1582, et Clemens VIII, in constit. *Illius vices*, data anno 1592 ; id est, ex conventionem prius facta pugnandi determinato loco et tempore. Unde qui sibi ex improvise occurrentes pugnant, aut si unus alterum quæsierit, vel minatus fuerit, non est duellum, defectu condicti. Similiter, si e duobus rixantibus, unus vel uterque currunt ad domum et cum armis redeunt et pugnant ; item, si in impetu iræ dicant : « Hic pugnemus, » et pugnent, non est proprie duellum, defectu condicti.

Dicitur 4° « cum designatione temporis et loci. » Ita requirunt Gregorius XIII et Clemens VIII, in laudatis constitutionibus ; ita ut, si designatio vel loci determinati vel temporis determinati desit, non sit proprie duellum censuris obnoxium.

*Petes* 2° utrum duellum sit licitum.

*Resp.* 1°. Duellum privata autoritate non est licitum : 1° quia omnis vindicta privata est illicita ; 2° quia præcepto : *Non occides*, non solum prohibetur occisio, sed etiam periculum proximum occidendi, ut in aliis præceptis ; 3° quia tam Ecclesia quam principes christiani duellum sub gravissimis pœnis prohibent. Trid., sess. xxv, de Reform., cap. 19 ; Greg. XIII et Clemens VIII, constitutionibus citatis.

[Speciatim Alexander VII damnavit hanc propositionem, n. 2 : « Vir equestris ad duellum provocatus, potest illud acceptare, ne timiditatis notam apud alios incurrat. »

Cum postea plures authores duellum licitum esse in quibusdam circumstantiis asseruissent, Benedictus XIV, constit. *Detestabilem*, data die 10 nov. 1752, quinque sequentes propositiones damnavit tamquam falsas, scandalosas ac perniciosas :

1° « Vir militaris qui, nisi offerat vel acceptet duellum, tamquam formidolosus, timidus, abjectus et ad officia militaria ineptus haberetur, indeque officio quo se suosque sustentat privaretur, vel promotionis alias sibi debitæ ac promeritæ spe perpetuo carere deberet, culpa et pœna vacaret, sive offerat, sive acceptet duellum. »

2° « Excusari possunt etiam, honoris tuendi vel humanæ vilipensionis vitandæ gratia, duellum acceptantes vel ad illud provocantes, quando certo sciunt pugnam non esse secuturam, utpote ab aliis impediendam. »

3° « Non incurrit ecclesiasticas pœnas ab Ecclesia contra duellantes latas dux vel officialis militiæ acceptans duellum ex gravi metu amissionis famæ et officii. »

4° « Licitum est, in statu hominis naturali, acceptare et offerre duellum, ad servandas cum honore fortunas, quando alio remedio eorum jaectura propulsari nequit. »

5° « Asserta licentiâ pro statu naturali, applicari etiam potest statui civitatis male ordinatæ, in qua nimirum vel negligentia vel malitia magistratus justitiâ aperte denegatur. »

Addendum est, non magis licere duellum suscipere, ex lege ut, uno vulnerato, pugna cessare debeat : quia præter prohibitionem et scandalum, adest periculum vulneris lethalis. Etiam si certum esset vulnus non evasurum lethale, certamen nihilominus illicitum esset : tum quia quodcumque vulnus voluntarium et etiam verbera sub præcepto : *Non occides* includuntur ; tum quia Clemens VIII, constit. *Illius vices*, anni 1592, vetavit « duella etiam non fatalia. »]

*Resp.* 2°. Duellum autoritate publica est raro licitum.

*Prob.* 1° In primis non est licitum spectaculi aut ostentationis virium causa ; quia princeps non habet jus in vitam subditorum, nisi malefactorum.

2° Certum est duellum esse illicitum ad detegendum crimen vel innocentiam, ut olim frequentabatur ; quia in duello æque potest cadere innocens ac nocens. Unde veri-